



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 174. An & qualiter ob Hæresin pater privetur potestate patriâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

ut etiam, tunc in casu habitæ scientiæ de Hæresi mariti confiscari possunt citata bona, quæ habuit uxor, tempore contracti matrimonii. De cætero, quæ dicta de non-confiscatione dotis posita ignorantia Hæresis, extenduntur ad bona paraphernalia, vel alio titulo uxori quæsitæ, quia sunt uxoris, Farin. de Hæresi. q. 190. §. 3. n. 44. Barb. l. c. n. 22. Castrop. l. c. p. 12. n. 3. Item ad arrhas & donationes factas uxori propter nuptias à sponso, Barb. Castrop. *ibidem*. nisi tamen, ut hic, sponsus tunc fuisset Hæreticus, cum in eo casu omnes donationes à puncto commissi criminis infirmentur, quia omnia illius bona obligata sunt fisco. Item ad donationes factas uxori, & à consanguineis mariti, nisi donans expressisset, se velle donata acquiri, quod raro fit, & regulariter non præsumitur, Barb. Castrop. *l. cit.* Item ad donationes constante matrimonio factas uxori à marito, quas quidem publicari publicatis bonis mariti probabile censent Azor. p. 1. l. 5. C. 7. q. 8. Vasq. 1. 2. d. 196. C. 1. n. 4. Bonac. d. 3. de contrah. q. 8. p. ult. n. 16. Et probabilius tamen non publicari, existimat Castrop. eod., quod morte civili mariti videantur hæ donationes confirmari quod ad effectum, ne transeat ad fiscum, item non extenditur hæc confiscatio bonorum uxoris nubentis scienter Hæretico ad casum, quo ab initio incia Hæresis dein reddita, conscia illius, virum Hæreticum comitatur, eumque non denunciatur, Farinacius *cit.* q. 25. n. 111. Sanch. *cit.* c. 17. n. 24. Pereg. de iure fisci. l. 3. tit. 1. n. 83. Clar. l. 5. recep. q. 78. n. 15. Castrop. l. c. n. 13. porro de eo, an maritus quoque privetur bonis suis, si nubat scienter mulieri Hæreticæ, vide Castrop. à num. 15. apud quem id negant Bonacin. & Sanch. ipse verò affirmat, si idem est periculum perversionis in marito, quod est in uxore, eademque præsumptio Hæresis de illo, quàm de illa. Notandum denique circa omnia dicta, quod publicatis bonis mariti uxor innocens propria autoritate capere possit sibi propria detenta à marito, per L. si quis post hac. C. de bon. præscrip. Sanch. l. c. C. 17. n. 3. Farin. in pract. p. 1. q. 25. n. 119. Castrop. l. c. n. 8. idque, ut idem, quasi in prærogativam matrimonii, dum aliàs cautum per L. si quis tantam. C. unde vi. & Lexstat. ff. quod metus causa. nemini liceat habere manuum iniectionem in re propria.

18. Resp. Ad secundum decimo quartò; Tametsi mortuo viro, confiscatis bonis uxoris, viduæ ob delictum tempore viduitatis ab ea commissum, confiscatur quoque dos illius, bona paraphernalia, omniâque alia, quæ stantè matrimonio acquisivit, ut Sanch. *cit.* c. 17. num. 15. Clar. *cit.* q. 78. vers. quæro. Farin. l. c. n. 112. Castrop. l. c. p. 13. n. 1. constante tamen matrimonio, ob commissum ab ea delictum, dos ejus confiscari nequit, (bene tamen alia ejus bona) nisi in quinque calibus, seu delictis expressis, in L. quinque legibus. ff. de bon. damnat. inter quæ, cum sit crimen læsæ Majestatis, dubium non est, sub eo comprehendi crimen læsæ Majestatis divinæ, seu Hæresim uxoris, ita Sanch. l. c. n. 26. Farin. *cit.* q. 190. n. 54. Roias *tr. de Hæret.* p. 2. assert. 40. n. 323. & 325. Castrop. n. 2. qui etiam n. 6. addit, probabilius esse, dotem confiscari tunc non solum quod ad proprietatem, sed & quod ad usumfructum, uti in specie de crimine Hæresis docent Farin. l. c. Roias, Zechius, & alii apud Castrop. nisi inter maritum & uxorem intercessisset pactum, ut, si uxor commississet delictum ex illis, ob quæ statuta confiscatio, eo ipso proprietas & ususfructus dotis transfret ad maritum, tum enim dotem

in eo casu nullatenus confiscari, cum Farin. *cit.* q. 25. n. 115. & aliis tradit Castrop. n. 9. ex ea ratione, quod dos tunc prohibetur expressè confiscari, non alienetur in favorem delinquentis, cum non applicetur uxori delinquenti, neque in fraudem fisci, cum non fiat post commissum delictum; adeoque jam maritus, ratione talis pacti, habet jus acquisitum ad dotem, & præferendus fisco, cætera, quæ valde fusè de confiscatione bonorum tractat Castrop. *tr.* 4. d. 5. à p. 14. cum non ita specialiter concernant confiscationem ob crimen Hæresis, lege apud eundem.

Quæst. 174. An & qualiter ob Hæresim pater privetur potestate patria.

Resp. Ob paternam Hæresim filii eximuntur à potestate patria, ita, ut statim ante omnem sententiam declaratoriam desinant esse sub patria potestate, & efficiantur sui juris, Sanch. l. 2. mor. C. 24. n. 6. Farin. de Hæresi. q. 197. §. 3. num. 29. Azor. p. 2. l. 2. C. 22. q. 6. Castrop. *tr.* 5. d. 5. p. 25. n. 12. Mol. de iust. *tr.* 2. d. 9. n. 10. Pirh. h. t. n. 79. juxta C. quicumque. h. l. in 6. & Gl. *ibidem*. v. deserunt. unde, ut dicitur *ibidem*. Pater Hæreticus non potest emancipare filium, quippe qui jam est sui juris, AA. citati. Neque potest filio suo impuberi substituere pupillariter, seu pro eo facere testamentum, per L. 2. ff. de vulg. & pupill. subst. §. 1. Inst. pupill. subst. AA. *ibidem*; quæ tamen pena privationis patriæ potestatis, non extenditur ad receptatores, fautores, defensores Hæreticorum, Sanch. n. 5. Pirh. l. c. Castrop. n. 15.

Quæst. 175. Num Hæreticus privetur dominio servorum.

Resp. Affirmativè, & servi absolvuntur ab omni debito fidelitatis & obsequii erga Dominum, juxta C. absolutos. h. t. non quidem ipso jure statim post lapsum Domini in Hæresim, ut dictum de privatione patriæ potestatis, sed post sententiam declaratoriam Hæresis, Sanch. l. c. num. 10. & 13. ubi ait, sententiam illam retrotrahi ad diem commissi criminis, Castrop. l. c. n. 16. Pirh. num. 81. contra Gl. in *cit.* C. absolutos. v. absolutos. & Abb. *ibid.* n. 2. & Fagn. n. 3. arg. ejusd. C. dum ibi requiritur Hæresis manifesta, nempe judicialiter per sententiam, quæ est præcipua & principalis manifestatio, Sanch. Castrop. Pirh. *l. cit.* quamvis alii vi, *cit. cap.* plus non requirant, quàm quod Hæresis sit manifesta iplo facto, vel probatione testium citra sententiam. Porro servi Christiani & Catholici Domino lapsò in Hæresim absolutè & in perpetuum evadunt liberi, ita ut, etiamsi Dominus abjurata Hæresi redeat ad fidem Catholicam, eique beneficio Principis bona restituantur, non tamen recuperet dominium servorum, cum libertas semel acquisita, quocumque modo, per L. 1. & 2. C. si adver. libert. revocari non debeat, Castrop. n. 18. his non obstante, quod libertas omnimoda servis Christianis in hoc casu concessa nullibi in jure sit expressa, dum id satis colligitur ex L. Manicheos. §. fin. C. h. t. ut declarant Castrop. n. 17. & 18. Pirh. l. c. E contra servi, pagani & hæretici in hoc casu absolvantur quidem à fidelitate & obsequio Dominorum suorum, unà tamen cum bonis cæteris (inter quæ numerantur & servi) Domini facti Hæretici transeunt in dominium fisci; ac ita tenent Sanch. l. c. n. 10. Mol. Tom. 1. de Inst. d. 40. tota. Azor. p. 1. l. 8. c. 12. q. 7. Decia. *tr. crim.* l. 5. C. 44. n. 28. Farin. *cit.* q. 197. §. 3. n. 30. Castrop. n. 18. Pirh.